

בשנה
AVSPICIIS
**RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI DOMINI,
DOMINI**
FRIDERICI AVGVSTI,
PRINCIPIS REGII ET ELECTOR.
SAXONICI HEREDIS,
&c. &c.
DISPVTACTIONEM PHILOLOGICAM,
DE

א ב י פ ה י ו ס ר

ex Gen. Cap. 44. v. 5.

CENSVRÆ ERVDITORVM PVBLICÆ SISTVNT,
PRAESES
M. IOH. CASPAR. Krause/
ROSVINO-MISNIC.

RESPONDENS
MAVRITIVS GVILIELMVS Wagner/
MARTISBURG.- MISNIC.

Ad d. VI. Martii Anno Christi 1706.
In Auditorio veteris Collegii,
Horis Pomeridian.

VITEMBERGAE,
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.



VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS,
DN. M. GODFRIED. STEIN-
BRECHERO,
DN. PETRO PAVLO FEKNO,
DN. JOHANNI STEPHANO
ROSTEVSCHERO,
RECTORIBVS LYCEI, QVOD
TORGAVIÆ FLORET, CELEBERRIMIS,
DOMINIS PATRONIS, FAVTORIBVS ET
PRÆCEPTORIBVS, OMNI FILIALI CVLTV
DEVENERANDIS, PROSEQVENDIS,

Gratam pro summis in se beneficijs,
mentem declaraturus,

Exercitium hoc Academicum
sacrum esse jubet

Obstrictissimus, deditissimusque
M. Joh. Caspar Krause.

Tisi Israelis posteris maxime laudi dicitur, quod, dicente Elia Levita in Præfat. sui Methurgeman, רְבָרִם לֹא שָׁנוּ וּשְׂרָאֵל בְּמַצְרִים שְׁמָוֹתָם וּלְבּוֹשָׁם וּלְשֻׁוּנָם Tria non mutarunt in Ægypto Israelitæ Nomina sua, vestitum suum, & linguam suam; Majoritamen fuisset, si quarrum etiam, Religionem videlicet, addere possemus, quam vitio παλυγενήτων turpissime istos conspurcasse, præter clarissima Scripturæ testimonia Jos. XXIV. v. 14. Ez. XX. v. 7. 8. Cap. XXIII. v. 3. 8. alibique occurrentia, vel vitulus iste ab Aarone ex auro confectus, in quo Israelita apostata more idololatrico Deum venerari non est veritus, luculenter manifestat. Quo vero tempore digressio a vera religione Jacobæ detestanda cœperit, illud Historicis, qui in diversas hic abeunt partes, dijudicandum relinquimus, id tantum e re nostra esse ducentes, ut Josephum Patriarcham, qui primus sedem fratribus per CC annorum, & quod excurrit, intervallum in Ægypto procuravit, cuius vitam sanctam, integrum, scelerisque puram in sacro codice relatam legimus, autorem & principem hujus μεταμορφώσεως nullatenus extitisse demonstremus. Evidem inficias ire non possumus, vanam superstitionem per gentes fusam, maxime quoque Ægyptiorum animos vel ipsis Josephi temporibus, imo jam tum ante ejus in Ægyptum adventum occupasse, & ita excrevisse, ut delubra sua, tanquam in sede propria, hac in regione Dia-bolus exstruxisse videretur. Absit vero, Josephum his statuamus superstitionibus deditum, uti ex divinationibus & auguriis quibusdam Ægyptiorum ipsi male imputatis, sanctitatem ejus nonnulli destruere conantur, repudio fidei Jacobæ missō, eandem cum feedissima labē παλυγενήτων unquam commutasse. Siquidem, ut alia taceamus argumenta innumerā Patriæ religioni ac moribus tam arcte constanterque adhæsit, ut ne ossa quidem sua, postquam fatis cessisset, Ægyptiorum regioni, ne vanis fortassis exponerentur superstitionibus, relinquere voluerit, sed fratribus, ut in Canaan secum, appropinquate liberationis tempore, deportarent, severe injunxerit. Erat enim ita demens Ægyptus, ut quæque videbat, Deos cole-ret, adeo, ut numina istius juxta Colophonium, Andridem, Lucanum, Ju-venalem, aliosque naris emunctioris Poëtas Ethnicos Ægypti portenta deridentes, nascerentur in hortis, volucresque ferasque Deos sibi posuerint. Hinc tandem, ceu ex fonte, tam varii cultus, tamque diversa divinationum ac rituum genera propullulavere, ut ea ore recitare, nec dies sufficeret. Alii enim ex motibus astrorum futura præsagientes, loco numeroque Deorum juxta Rab. Gedalam in **שלשלת הקבלה** ista habebant: **ךְלָאוֹ אֶלְחֹות**

לְכָל הַמּוֹלֹה וְכָכְבִּים Vocabunt Deos omnes stellas & Planetas. conf.
Diodor. Siculus Lib. 1. Et hi in sacris communiter appellantur: מְעוּנְגִינִים :
חֲרַטְטוֹ Alii חֲלָמִים חֲלָמִים ex somniis prophetias capientes; Alii & חֲכָמִים
מִצְרָיִם nomine veniunt, quibus & Magos adscribimus, quales Jan-
nes et Jambres a Paulo 2. Tim. 3, 8. adducti fuisse videntur. Alii ex lineis,
figuris, signis, cadaveribus perspectis, fortuita & latentia indicare annisi
sunt, vel ex certo etiam cadaverum contactu de occultis & futuris, vel cer-
tis denique incantationibus mortuorum animas, ut de rebus, sive præteri-
tis, sive futuris eas nocturno tempore consulerent, evocare haud vereban-
tur. Spectant hoc ḥārōm ḥārōm & קְסָמִים קְסָמִים ut & : מְכַשְּׁפִים :
וּרְעִנִּים & רְוִישִׁים אֶל הַמִּתְוָם : שָׁאֵלִים אָוֹב
quorum mentio in
sacris itidem injicitur. Mittimus σεργομάντεις, atque ex his γεομάντεις,
υδρομάντεις, αερομάնτεις, πυρομάնτεις, καπομάնτεις, λιβανομάնτεις, κε-
δυμάնτεις, κοστινομάնτεις, κατοπτρομάնτεις, ιχθυομάնτεις, ακομάնτεις,
aliosque plurimos, de quibus conferri merentur Peuceri, Camerarii
Marsi, Ficini, Tobiæ Magiri, Zanchii, Neuhusii, aliorumque de divinatio-
nibus libri ac scripta in publicum proposita.

§. 2. Hujus furfuris hominibus naturaque δαιδαίμονι & μυστηριαῖς
Ægyptiis, Josephum nostrum, virum pium omnisque labis expertem ad-
scribere, quin, ut שְׁנִירָה augurem apud hanc gentem principem, cœco quo-
dam, num dicam Ægyptiaco furore, quidam appellare non erubescunt,
patrocinium, nescio quod, ex Gen. Cap. XLIV. v. 5. opinioni suæ falsissimæ
prætexentes. Et hic locus ipse est, ex quo κυλικομάντεις, aliasque, quæ
huic affines sunt divinationes abominandas, ausu summe improbo elicere
conantur. Cum itaque reclamantibus licet cordatiorum ac bonorum o-
mnium votis, quin ipsa Veritate, ex loco jam citato, & in isto ex verbis
Josephi per œconomum fratribus annunciantis, ejusmodi artes Magicas
& illicitas, maxima cum læsione famæ Josephi sanctissimæ, & conspurca-
tione fontis purissimi deduci posse ac defendi, nonnulli sibi persuadeant,
philologicam hanc dissertationem, quam Deus bene vertat, elaborandam
in nos suscepimus, memores in primis Syrorum istius

يُبَلِّغُونَكُمْ أَنَّكُمْ كُنْتُمْ تَعْمَلُونَ Qui defendit nomen homunculi a calu-
mniatoribus ædificavit animæ sua thronum gloriae. Quo magis si nomen
Josephi tot elogiis a Spiritu S. exornati tuebimur, ab omni illata harum
divinationum illicitarum injuria idem vindicaturi. Antequam vero ad
ipsam quæstionem, utrum Josephus ex scypho suo argenteo divinarit &
κυλι-

κυλικομαρτεῖαν, vulgo sic dictam, exercevit nec ne? pedem promoveamus, fontem & derivatos inde versionum rivulos per sequentia aperiemus.

Textus Ebraeus.

חַלּוֹא זֶה אֲשֶׁר יִשְׂתָּחַדְנוּ בָּבוּ וְזֹה נָחֵשׁ יִנְחַשׁ בְּוּרָעָתָם אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם:

Targ. Chald. Onkelos.

הַלּא דִין רְשָׁתְיִ רְבּוֹנִי בֵּית וְהַוָּא בְּרָקָא מְבָרָק בָּוָה אַבְּאַיְשָׁתוֹן
חוּ-עֲבֹרָתוֹן:

Syriac. Vers.

נְבָלָעַת תְּנִזְנִזְנִי בְּלָעַת כְּתָלְמִזְמָרָת
תְּלִמְזִמְרָת לְמִזְמָרָת כְּתָלְמִזְמָרָת: בְּלָעַת

Arabic.

بَلْمِزَمْرَةٍ

أَلْمِزَمْرَةٍ نَّيْنَنَةٍ الْمِنْيَى بَلْمِزَمْرَةٍ وَلَمِزَمْرَةٍ فَلَمِزَمْرَةٍ وَلَمِزَمْرَةٍ
أَسْمَأَ أَسْمَأَ حَكَمَ بَلْمِزَمْرَةٍ أَسْمَأَ قَمَّتَ فَلَمِزَمْرَةٍ سَلَمَّتَمَّ

LXX.

Οὐ τάχτο δέπιν, ἐν πάνται κύργος μηδεὶς αὐτὸς δὲ οἰωνισμῷ οὐαίζεται ἐν
ἀντρῷ πονηρῷ συντελέσκετε, ἀ ποποιήσατε.

Vulg.

Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo
augurari solet, pessimam rem fecisti.

§. 3. Ut vero, quid de divinationibus sit sentiendum, quæque aliorum &
nostra quoque sit sententia, Lectori plenius constet, pauca, priusquam ad
rem ipsam proprius accedimus, hic esse prælibanda existimamus. Scholæ
Philosophorum veterum varias de divinationibus professæ sunt sententias.
Epicureorum Secta, & aliorum nonnulli Philosophorum, omnes divina-
tiones & futurorum prædictiones, pro meritis nugis & imposturis, quas su-
perstitione hominum mens sibi excogitasset, æque habendas esse arbitra-
bantur. Demonax hinc ad divinatorem ita: Quid, inquit, tua divina-
tio prodest, si quæ fatis decreta sunt, omnino sunt eventura. Bis miser esse
eupis, qui mala, quæ vitari non possunt, amas inepte præscire. Cui & jam
Diogenes Cynicus, interpres & Conjectores futurorum audiens: nul-
lum homine animal esse stultius, applaudebat. Laert. Lib. 6. Stoici e con-
trario, quounque fierent modo, divinationes pro sacrosanctis, & Ἰερῶν
humanæ menti insulis venditabant, ὅτι Ἰησος Φιλοσόρως προφετεῖ τὰν ἀν-
θρώπων, καὶ τὰ γεννούμενα ἀντὶς προφητείων. Hinc Chilon munus Deo-
rum esse divinationem, quæ ratione, ab homine insigni virtute prædicto,
percipi posset, putabat, & ipse, ut ex Insula Cythera summum oriretur ma-
lum Lacedæmoniis, quod in Demarato impletum esse perhibent, fertur
vere prædictisse futurum, teste eodem Laert. Lib. 1. Cap. 2. Peripatetico-

A 3

rum



rum scholis via placebat media. Duo enim statuentes divinandi genera, Artificiosum unum, Platoni in Phædro Οἰωνίσκῳ, quod ea, quæ conjecturis & eventibus animadversa & notata, complectebatur, damnabant, quo cum vaticiniis ex astris & elementis captis, observationes portentorum, auguria & id genus alia spectant; quorum vanitatem & in primis Aruspicii, quo fucus populo fieret, demirantem, & quod non rideret aruspex, quoties aspiceret aruspicem, quærentem Catonem Seniorem. Cicero Lib. 2. de divin. pro ducit. Alterum vero genus Peripateticis Naturale dicebatur, Platoni Μαννῷ seu μαρίᾳ, quod omni carebat arte signisque præcedentibus. Et hoc insomnia, furore agitatorum & morte proximorum vaticinia, raptus Poetarum, Sibyllarum &c. pertinent. Hoc vero maxime approbabant, & ἐμΦύτῳ τὸ μαντεῖας δυνάμει εὐ τῇ τῶν αἰθέρων φυχῇ, nec non simulacris & imaginibus rerum futurarum & latentium menti, quod ajebant, impressis corroborare maximopere conabantur. Quam etiam animæ facultatem Cratippus ex præteriorum reminiscientia, & jam præsentium perceptione, sed Φανούσιρως colligere allabovavit: Cui et Gregorium M. Lib. 4. Dial. 26. ipsam aliquando animarum vim subtilitate quadam sua aliquid prævidere, afferentem, quidam adscribunt, quem tamen B. Balduinus in Caf. Cons. de Divinat. excusat optime. Nos licet ex toto, neque Epicureis, omnes futurorum prædictiones rejiciendo; neque Stoicis quascunque, aut Peripateticis, Naturale tantum genus, pro veris venditando, ad stipulari possimus; animam tamen humanam rerum futurarum simulacula habere, viresque animæ non impedita, naturales de futuris dijudicare posse, omnemque ex his divinationem, ex operatione, permittente Deo, Daemonum proficiisci, cum August. Lib. 12. Gen. ad lit. Cap. 13. & Thoma passim, falsum utique judicamus. Loquatur adhuc pro nobis Balduinus l. c. Omnem prædictionem, quæ non ex causis naturalibus aut conjecturis est, vel esse a Deo, ut Prophetæ sacrorum Vatum, vel a Diabolo, ut divinationes proprie sic dictæ, ita concludens & afferens verissime.

§. 4. His itaque præmissis, methodus & ordo disquisitionis nostræ requirit, prius enodare voces, quæ potissimum huc faciunt ac respiciuntur, quarum hujus loci prior est גַּבְעָה, quæ quidem in nostro versiculo καὶ τὸ ὄπτον non legitur, extat tamen implicite in his repetenda ex vers. 2. hujus Cap. Significat autem ista Scyphum a Rad. in usit. גַּבְעָה unde גַּבְעָה collis, monticulus, hinc גַּבְעָה & גַּבְעָה Urbes in colle exstructæ, quarum duæ in Israel olim extabant: Altera sc. in Tribu Benjamin & vocabatur גַּבְעָת בְּנִימֵן vel גַּבְעָת שָׁאוֹל, לְאֱלֹהִים it. גַּבְעָת quia

quia Patria Saulis éstat, & per tempus quoddam arca foderis ibi commorabatur. Altera in Tribu Judæ, quæ נִבְעַת הַמָּוֹרָה Gibeä speculacionis appellabatur. Ab eadem haec radice מְגֻבָּעוֹת Galeros seu Tiaras, quæ incurvi, seu alti pilei sunt genera, Philologi derivant, qualia in pr. Orientalium gentium Sacerdotibus, Israelitis, Persis aliisque communia fuerunt. Conf. Josephi Antiqv. Lib. 3. C. 8. & Aben Esra ad Exod. 28. Simile ornamentum, sed cæcumine quodam instructum Persarum Regibus fuisse familiare, Seneca de Benef. Lib. 6. nos docet. Hodie tempore Papam Romanum tali ornamento tribus coronis cincto, cui Dux electivus Venetorum, quem Doge Itali vocant, jungendus, superbire comperimus.

§. 5. Vocem גְּבֻשׁ Onkelos transtulit Scyphus, quæ vox bene derivari poterit ab Arab. قَلْنَى collegit aquam, lac, vinum LXX. reddidere κάρδυ, ex Athenæo Asiaticum, & Nicomacho specialiter Persicum Poculum X. cotylarum capax, vid. Jac. Bonfrer. in Comment. h.l. Nos, quia non multum interest, sive sciamus, sive ignoremus, non adeo solliciti de his erimus, sive fuerit Patera, siva Amphithetum, sive Synthesis, Anaglypha, Diatretum, Cissybium, aut aliud quodpiam scyphorum genus; Procul dubio tamen, si ex vocibus גְּבֻשׁ וְגְבֻשׁות, & quam alii ex eadem rad. deducunt לְגָבְעָוֶר culmus, conjecturam facere licet, formam seu potius figuram eandem, quam Conoides, repræsentasse dicendum erit; sicuti res omnes per has voces significatae, eandem Coni figuram indigit. vid. Lexica.

§. 6. Mittamus hac ratione Calvinum in Comment. Cap. 44. Gen. mirantem, Scyphum ex argento confectum, cum tamen Josephus in tanta opulentia & divitiarum copia ex aureo calice bibere potuisset. Opinatur hic inde, iis temporibus, vel fuisse majorem seculi continentiam, vel tribuendum esse Josephi, quod in summa licentia mediocri cultu contentus fuerit, temperantia. Nisi forte propter cælaturæ artificium, hoc argentum pluris fuerit auro, ut saepe majoris pretii est forma, quam materia, uti Homerus Iliad. 33. tale argentei poculi genus describit:

Αργύρεον κρητῆρα πινγμένον, ἐξ δ' αὐραὶ μέτροι
Χάνδαινεν, ἀνταρεῖ κάλλει εἴναι πᾶσαν ἐπ' αἰαν
Πολλὸν, ἐπεὶ Σιδένες πολυδαίδαλοι ἔνικονουν.

Et Ovid. Lib. 13. Metam. v. 648. ejusmodi Crateris mentionem facit.

Miserat hunc illi Therses, fabricaverat Alcon
Myleus, & longo celaverat arguento.

Cum quo Ursini & Gualtierii opiniones, quod literis mysticis signatus hic Josephi scyphus, & inter sacra relatus fuerit, conferri merentur, de quibus infra. Sufficit nobis, quod iste scyphus, quotidianis conviviis inser-

vive-



אשר ושותה בז. Ut & hodie adhuc, in primis diebus festis & solennibus, recensente Paulo Fagio Præc. Transl. quisque Pater familias Judæorum ad convivium se præparaturus, mensæ adsedentibus aliis suis, manu dextra Scyphum vino plenum tenet, ita pre-cans: ברוך ארון אלהינו רבון העולם כורא פָרֵי חַגְבָּן, & ubi libavit, propinat & aliis hauriendum, hinc panem quoque largitur convi-vis, addito voto: בָרָךְ אֶלְהֵינוּ רַבּוֹן הָעוֹלָם מִבְיאָה לְחֵם מִן הַאֲרוֹן Quem ritum jam Servatorem nostrum mutato quamquam ordine observalle dicunt.

§. 7. Accedimus nunc ad voces נְחַשׁ, quæ majorem circa hunc locum litem pepererunt, unde & omnis tam variorum interpretum dissensus ortus & progressus, quibus vero bene & rite explicatis, non dubitamus, quin omnis difficultas atque obscuritas sponte dissolvatur ac evanescat. Hu-jus vero vocis נְחַשׁ significatum duplicum potissimum, annuente Munste-ro, Schindlero, Castello aliisque pluribus, Proprium videlicet & Im-primum esse, missis, qui triplicem hic eligunt Lexicographis, arbitramur. Proprie נְחַשׁ in Piel usitata rad. tantum significat: auguratus, omi-natus est, sive augurium quis ipse ceperit, sive augures consuluerit. Et ita hunc locum nostrum reddidere LXX. ἀντὸς δὲ ὀπωνισμῶν τοιχεῖα & Vul-gata: in quo augurari solet. Syr. ﻢَلَكُ ﻣَنْجَدٍ. Et ab hac rad. נְחַשׁ formatur Nomen aut potius Particip. מְנַחַשׁ. Augur, Scrutator, Divinator, qui dies vel horas explorat, ut Schindlerus habet, indeque con-jicit & prædictit. Et hinc ipse actus augurandi, aut captum augurium נְחַשׁ appellatur.

§. 8. De significatione vero formalii hujus נְחַשׁ, nec omnes consentiunt. Bochartus in Hieroz. Lib. I. C. 3. cui adstipulat. Coccejus in Lex. Bibl. suo, potius ad ὄφιομαντέα, quam ὄρνιζομαντέα referendam hanc vocem esse autumat, unde & שְׂרֵפָה Serpens, Draco, nec non נְחַשְׁרָן Serpens æneus, quem Moses in deserto erexit, Ezechias vero ob superstitionem ejus cultum destruxit, nomen sortita fuerint. Probat Bochartus porro, apud Hesychium σίωνες non modo aves esse, sed etiam ὄφεις. Επικινῶς γὰρ λέγεται εἰς τὰς μάντιας τὰς ὄφεις ἔχειν, καὶ καὶ σίωνες ἔλεγον. Hinc in Fabula de Helen. & Cassand. Priami liberis, Euripidis Scholiastes in Hecubam dicit: Ελθόντες ὄφεις, καὶ τὰ μυτῶν περίλειψαν Σαυτες ὄφεις, καὶ τὰς ὄφεις, εἰργάζαντο καὶ μόνας τὰς τῶν Θεῶν αὐγέαν θελάσσαν. καὶ μάντεις ἀκρας εἴραν. Sic dicuntur, qui carnes draconum ederint, sermones bru-torum intelligere, unde Mahumed Adamitus vulgo Damir in Cap. ۳۷۸ live

وقبائل أن اليهود يأكلون لحم الثديين عيالموتون Sic Auguriorum Præsidem Græcos Veteres
in serpentis forma coluisse constat, ac proinde Pythium dictum. Hebr. vero
serpentis est genus. Et Mosi Python est אֹוב voce Egypt. Serpen-
tem notante. Hinc pessima superstitione & augurium: שאל אוב Quæ-
rere Pythonem.

§. 9. Licet vero quadantenus vocem נחשְׁ פִּוּמָרְתֵּא significare ad-
mittamus, & ita Bocharto adstipulemur, non tamen adducet nos, ut cre-
damus, solam διανομαρτείαν hac eadem indigitari. Dicimus potius נחשְׁ
seu διανομαρτείαν, ut genus suas species divinationum complecti; id quod
etiam facile possemus comprobare, nisi jam Scriptura S., Lexicographi,
aliaque Ebræorum scripta dudum id evidenter demonstrassent. Sic enim
erat Augurium apud Veteres. I. Ex cœlo, tonitru, fulminibus, nubibus aliis-
que meteoris. II. Ex diris quibusunque admirandis; Ubi aliud οἰκοσηπιάδες,
de iis, qua insolito more in ædibus animadversa. ut Terent. in Phorm.

- - - Monstra evenerunt mibi;

Introit in ædes ater alienus canis.

Anguis per impluvium didicit de regulis.

Aliud παλαικόν Vibratorium, ex insuetis & præter naturæ ductum obortis
in corpore motibus. Cujus ridiculum, at maxime superstitiosum legitur in
Talmud. in Sanhedr. f. 94. חי מאן רמכ'יות אַפְּ עַל גַּפְּ רָדְיוֹן לֹא חֶזְיָה
מוליה חי מאי תקנתייה לונשוף סרכותה ארבעה גרמיין אוינטִי
לוקרי קראות שמע ואו קאי ב مكانם התנפחת לומר הבוי שוא דבי טבחא
שׁמְנִין מיאני. Aliud ḥəddion, ex iis, quæ in viis præter spem obviam
fuerant. ut Horat. Lib. 3. Od. 27.

Rumpat & Serpens iter institutum,

Si per obliquum familiis sagire

Terruit mannos.

III. Augurium capiebatur ex conspectu inopinato & insolito quadrupedum, quod tamen ad secundum genus non incongrue reduci potest. IV.
Quod primo loco referendum potius fuisset genus, erat ex avibus; ubi ite-
rum dicebatur aliud Augurium stricte sic dictum, cum avium garritus, vor-
latus & cantus observabantur, & inde futuros enarrabantur proventus: ut si
cornix a læva, corvus a dextra cantabat, sinistri quid instare dicebatur. A-
quila insidens Capiti alicuius, eum regnaturum significabat. Aliud Au-
spicium, cum ex Volucrum pastu, cursu & volatu futura prænuntiabantur,
cum columbae deserebant domum, cum pulli recusabant cibum. Idem
cum Appio Claudio beilo Punico apud Siciliam prælium navale jam inituro
accideret, projici pullos in mare jussit, additis verbis: Siquidem esse (e-
dere)

dere) nolunt, bibant. Teste Cic. Lib. 2. de N. D. vel, cum ex ore pullo-
rum aliquid decidit, uti in Baal Hatturim Commentat. Cabballist per
מְנַחֵשׁ Notaricon significat: טָפִי נְפָלָה חֲתִיכָה שְׁלִי. Aliud tandem Aruspicum
erat, cum ex volucrum & aliorum animantium extis, intestinis, vibris &
visceribus præsgia detorquerentur. Significatio itaque נְחַשׁ propria in-
digitat Augurium in genere, omni respectu ad speciem quandam remoto-
conf. Autor. supra citat. & add. Artem. Daldianus de Auguriis cum Rigal-
tii not. Aug. Niphus de Augur. Jac. Schalleri de Divinat. in Cic. Libr. Tal-
mud. Sanhedr. C. 7.

§. 10. Impropria significatio verbi נְחַשׁ est: Scrutatus, expertus est, in-
quisivit, investigavit, conjectavit; & secundum Schindlerum in Pentagl.
Tentavit, probavit: Cui significati vocem Serpens, draco, natales
alii debere malunt, probando id ex Gen. 3. 1. ubi dicitur, quod נְחַשׁ הוּא
מֶכֶל הָרָת אֲשֶׁר עָשָׂה וְרוּסָה מֶכֶל הָרָת אֲשֶׁר עָשָׂה
יְהוָה Φέρνιος ὡς οἱ ὄφει, affirmat. Sic, ut nonnulli volunt, Vete-
res Rabbini talem perscrutatorem prudentem Regem dixerunt Salomo-
nem: Ita R. Selemo de eo: Et חַכְם הָיָה בְּטִיר רֹק כִּתְבָ בְּפִסְקָתָא
hinc illud dictum ejusdem: שָׁׁמְעַע עַזְפָּצָה וּמְבִין לְשׁוֹן, de callido
homine in proverbium abivit.

§. 11. Formale hujus augurii false imputati Josepho, est κυλικουμαντια, quam etiam nunc explicare, res ipsa postulat. Quoniam vero hac in re tam mendaci ac falsa describenda, quod non miramur, scriptores maxime dissoni sunt, variasque sibi sententias fingunt, nonnullas, ad meliorem hu-
jus fuci & vitii manifestationem, quæque lectu jucunda videntur, paucis in medium proponemus. Primo hujus divinationis formam constituit
սְדֵגְמָעָנְתִילָא, vulgo sic dictam, quæ variis modis a gentibus diversis exercebatur. Cyathus implebatur aqua, annulusque filo suspensus libera-
batur in aquam, atque ita conceptis verbis poscebat a dæmone declara-
tio & confirmatio rei quæsitæ. Si quid proponebatur, quod verum, an-
nulus suo nutu non impulsus, feriebat cyathum constitutis iictibus. Hac usum Numam Pompilium, & evocatos in aquam Deos consuluisse, ferunt.
conf. Peucerus de Divin. Vel conjiciebantur in aquam quietam lapilli tres,
& observabantur gyri ad ambitum corporis continentis diffusi, trifariam-
que mixti inter se & impliciti. Fiebant & Divinationes սְדֵגְמָעָנְתִילָא ex
impressionibus aqueis aquarumque fluxibus, refluxibus, exundationibus,
defluxibus, tempestatisbus, coloribus & imaginibus, quæ in aquis refulge-
bant; uti & hodie apud vulgum pessima hæc superstitione adhuc obtinet,
& festo nativitatis Christi sanctissimæ exercetur. De Hydromantia
Varro annotavit, puerum quendam in aqua effigiem conspexisse, quæ quin-
quagin-

quaginta versibus omnem Mithridatici belli eventum expresserit. Hic re-
ferri merentur Junonis vocata palus, non procul ab Epidamno Laconum
oppido, & quæ in Lib. de Mirabilibus Mundi, false Arist. adscripto, de Fon-
te Paliscorum in Sicilia notantur.

S. 12. Secundo λεκανουαντεία seu κυλικουαντεία memoranda venit, de-
qua Psellus, & in primis Julius Serenus Lib. 9. de Fato C. 18. Assyrios, inquit,
legimus & Chaldaeos Ægyptiosque pelves aquis replere solitos, in quibus ar-
gentreas laminas lapidesque preciosos certis characteribus signatos pone-
bant, & quibusdam verbis prænuntiatis dæmon advocabatur, qui vocem
instar sibili ex aquis edebat, responsa eorum, de quibus consulebatur, red-
dens. Ex nitidis terrisque rebus aliis, in quibus quæstuarum rerum ima-
gines a diabolo confictæ videbantur, antiquitus divinabatur, κατεπερματεία
vulgo dicta. conf. Casaubonus in Spartani Julianum. Qualis & fons Cere-
ris in Patra, in quo injecto speculo, si ægroti hilarior resplendebat vultus, sani-
tatem, si tristior, mortem præslagiebat insecuturam. Nihil dicamus de χρυσαλ-
λοματείᾳ, ονυματείᾳ, κοτύθοματείᾳ, seu divinatione per æneam phia-
lam, quæ hic locum suum inveniunt. De Αερματείᾳ seu spectrorum, quæ
in aere apparebant, atque, vel de futuris, vel de præteritis monebant, hæc ad
κυλικουαντείas spectant: Convoluta mappa imponebatur Capiti, in hanc
cyathus aqua plenus statuebatur, levique susurro, quod exigebatur, erat
recensendum. Ad ea verba, si aqua effervisset, affirmari & approbari, quæ
inquisita erant, censebantur. Quo pertinet Οινματεία, cum observa-
tis iis, quæ in vino aut vasis vinariis siebant, futura prædicabantur. Sic
Lydi, Iberi, Persæ & Thracæ non ex avibus, sed maxime ex vino observa-
runt auguria.

S. 13. Hugo Grotius putat κυλικουαντείas hoc loco per נח ש כנ notatam ab aliis, eam fuisse, quod scyphus usurparus fuerit in sacrificiis, qui-
bus præparatio facta sit ad prælagia. Sic ex Scholiaste constat, qui ad illud
Pacis Aristophanicæ: πέντε δέ τοι δῶρον διδωμι τὸν δίνα σπινδὺν ἔχεις.
Τέτοι παρεπιγεγρόν. Τέτοι γαρ εἰπὼν διδωμι μήτης Κιάλην χρυσῆν. Conf.
Calov. Bibl. Illustr. ad h.l. Et si Clementem Alexandrinum Strom. 6. evol-
vamus, habemus usum crateris in auspiciis: & jam apud Homerum multis
in Locis. Sic Iliad. XVI. ubi Achilles Jovi libat vinum

Εἴσα δέ οἱ δέπται ἔσκε πετυγμένοι, γέδε τις ἀλλοί
γέτε διδρῶν μένεσκεν απ' αὐτοῖς διδοπαὶ δίνον
γέται πεντακένδεσκε θέων, οὐτοὶ μὴ διττοὶ παρεῖται.

Alii alium, quo rite ψών explicari possit, describunt modum. Ridicu-

culum adhuc sane, quod resert Gerhardus in Comment. & Mich. Christ. Tieroff in Vinc. Judæor. Sacr. ad verba Gen. 43.33. וְחַמּוֹת הָנָשִׁים אֲשֶׁר רָעָה fuisse ex Ebrais, qui miratos dixere fratres dispositionem a Josepho, cui se putabant incognitos, institutam secundum morem apud Ebraeos & Patrios lares in mensa receptum, quo scilicet singuli juxta ætatem colloca-ti fuerint. Josephum vero hoc præstilse per augurationis speciem, ad-hibito scypho, eodemque percusso ad singulos scyphi tinnitus, quemque suorum fratrum ex nomine appellasse & considere jussisse, idque esse, quod præsenti loco dicitur, Scypho ipsum augurari solitum. Hoc modo pu-tant non nulli, sortilegium ex scypho jaclum vocasse fratres ad institutum convivium. Ursinus in Anal. P. I. paulo aliter de sortibus sc. consultor iis in scyphum conjectis, hanc κυλιονοματεια explicat. Sed nos diutius huic rei immorari, operæ pretium non judicamus, hinc, quia hunc modum au-gurandi & divinandi, nec definire possumus, nec citra maculam Josepho aspersam debemus, in medio ea relinquimus.

§. 14. His potius deductis & explicatis, quoad fieri potuit, ad veram hu-jus fontis explicationem progredimur. Et licet הַקְרֵבְנִי מִשְׁלָחָן moneat; **מִשְׁלָחָן** **תָּבוֹעַת הַרְאָתָן** **מִבְצָרָה** **הַאֲחָרוֹנִים** Non tamen absterre-mur nostram etiam sententiam addere, aplaudentibus præprimis viris maxi-mis. Priusquam vero id fiat, examini subjiciamus tam variorum varias sententias, easque, quæ sanctitati Josephi labem minantur inferre, & a Veri-tatis tramite aberrant, removeamus. Secundum enim significatum voc. **נְחַשָּׁׁ** Proprium, quem Auguratus est, posuimus, obviam nobis sunt ii, qui vel ipsum Josephum censem augurem, vel augures consuluisse, vel talem se simulasse &c, uti nunc videbimus. Inter tam multos jam assurgit contra Jo-sephum, Magiam, si non veram, tamen simulatam isti affingens Joh. Calvi-nus in Comment. in Gen. C. 44. & graviter hac augurii simulatione eum peccasse, autumans. Præterquam, inquit, quod auguria profiteri illi nefas fuit, perperam & indigne cœlestis gratiæ laudem transfert ad dæmonia. Prius negabat, se idoneum fore somnii interpretem, nisi quatenus verita-tem Deus suggereret, nunc totum illud gratiæ Dei elogium oblitterat, & quod deterius est, Magum se jacans pro Dei Propheta, impie profanat Spi-ritus S. donum. Certe in hac simulatione graviter eum peccasse, negan-dum non est. Calvino, Marc. Frid. Wendelinus in Phil. Moral. & David Pareus in Operib. Theol. Exeg. eodem, sed hic mitiori in Josephum animo favent, & quanquam multorum hic ipse sanctitatem ejus insimulet; auli-eam scilicet exagitationem nimis esse seriam & periculosam, eo quod scy-phum ingesserit dolo, quod Magicas artes probare & suas facete videre-tur, fratresque insolentes calumniose insimulaverit foedissimorum criminum, ingrat-

ingratitudinis & furti, si facta ad juris Regulas examinentur; quia tamen
sæpe sancti motus, quibus agantur & agant, singulares haberent, ut insin-
atu peculiari illud factum sit, fieri potuisse statuit. Andreas vero Rivetus
Comment. nostro Cap. durum videri putat, tali crimine Josephum grava-
re, ac si donum cognoscendi arcana a Deo acceptum, obscuraret & glori-
am transferret in partes illicitas, et si simulatione. Noster B. Megalander
in eadem quidem opinione est, quod augurem se simulaverit, sed maxime
quoque, ut Josephum excuset, laborat: Lusisse, inquit, & finxisse Josephum,
se haberi debuisse pro Mago, quasi dixerit: Debebatis cogitare Ægyptum
abundare auguribus, ariolis, incantatoribus, ac in primis principem ipsum
harum artium peritum esse. Et ita simulasse, se nosse eorum consilia,
qua simulatione augeretur fratum trepidatio &c. Hunc sequitur Osiander
eisdem sententia, non quod Joseph impiis Superstitionibus esset deditus;
Sed ut melius dissimularetur adhuc, quod Ebræus esset, utque minus fra-
tres ipsum ante tempus destinatum agnoscerent, ad stipulans. Quo cum
idem sentit Joh. Gerhardus & Mercerus. Atque hi potissimum sunt, qui
nostrum Josephum excusaturi, omnia, quæ alii intendunt contra Vitæ e-
jus integritatem, maximopere declinare student. Eandem & dudum jam
hic ingressus viam Augustinus, non serio, sed per jocum, non malo in fra-
tres animo, sed bono atque pio omnia Josephum egisse existimans. Theodo-
retus Josephum non assertivis, sed interrogativis usum fuisse verbis, o-
pinatur. Thomas & cum eo multi, quos recensere omnes spatium chartæ
prohibet, ex hypothesi Ægyptiorum locutum esse, sibi persuadent, quia
hæc gens, qua amentior & stolidior his superstitionibus nulla, Josephum
tanquam Principem tales credebat, qui somnia Regis, tam felicissimo e-
ventu, de quo tota Ægyptus tunc latabatur in hac annonæ charitate, sit
interpretatus.

§. 15. Alii nodum hunc intricatum feliciori gladio, conatu ut ut æ-
que vano solvi posse, certissime rati. Animum enim induxerunt, ut cre-
derent, Josephum de Scypho quo venerit, aut quis furto eundem abstulerit, vel augures consuluisse, vel ex ejusdem ammissione malum augurium
seu omen, quod sibi ruinam minaretur, cepisse ac futurum autumasse.
Siquidem ex eo, quo uti hoc calice cœpisset, prospere semper omnia & ad
voluntatem cessissent. Illam, qui sententiam probant sunt Chytræus, Jose-
phum divinatores consuluisse, ut sciret, quis scyphum surripuisse, expo-
nens, & Cyriacus Spangenberg in Tab. in Pentateuch. evulgatis. Vtrique
huic sententiæ gens Judæorum cum suis הַפְרִשִׁים plurimum favet. Sic
Rab. David Kimchii in b.l. מִפְרִשִׁים שְׁחוֹא עַצְמָו וְנַחֲשׁ בּוֹ כִּלּוּמָר יְהִשִּׁיב אֶבְרָהָת הַגְּבִיעָ לְנַחֲשׁ רֵעַ

לעכמו שאבך ממנו הכלו שירא שוזה כו Illam & Rabi Jonas v. 15. his apprehendit, nec non R. Selem, ben Melech ia hisce verbis: למנחשים בעבورو מי לךו Hanc vero lsr. Arama & Rab, Abarbanel suam faciunt & defendunt, cui sit **אָמַרְתִּי** Marcus Marinus in Gen. Leonh, tandem Marius in Coment, suo in Gen. h. l., ne dicta & facta Josephi probandi & improbandi necessitatem ubi imponat, nihil præjudicii inde oriturum Josepho, si etiam dicamus, oeconomicum, quæ locutus est, mentionem fuisse, statuit. Sed cum Josephus ipse demandavit haec verba, & ejus iustus Oeconomus annunciat, temere ab expressis Scripturæ verbis deflectere integrum nobis non videtur.

S. 16. Sunt etiam, qui נחֶשׁ non in malo sensu, sed **אָנֹתְּה וְזֹעֲמָנָה**, pro mera divinatione divina Josephum ab omni vitio, & mala de auguriis & artibus magicis illata fama vindicaturi, recipiunt, & hinc donum eius Propheticum hoc in loco, quippe quod **אֱגֵפְתִּים** maxime notum & a Pharaone Cap. 41. Gen. in verbis **הַנְּמֶצָא** applaudunt Andr. Riverus in Exercit. & Math. Polus in Synopsi Critic. Inde ultimus, facillimam esse resolutionem hujus loci, dicit, & de divinatione divina intelligatur, q. d. Oeconomus: Putabitisne, posse vestrum futrum celare herum medium? an nefiebat eum divinare occulta, hoc & nomen ejus **צָפֵן פָּעַנְחָ** docere vos paruit. Quidam hujus loci esse sententiam indicasse dudum Rupertum Tuitiensem L. 9, in Genes. afferit.

S. 17. Sed B. Abr. Calovius l. c. in Comment. ad Gen. ad horum explicationem reffissime moneret, non decere Josephum hanc iactantiam a se ipso prolatam. Unde enim, inquit, constabat fratribus Josephi **צָפֵן פָּעַנְחָ** a Pharaone Josepho inditum fuisse. Est enim, uti demonstravit Pfeifferus hoc nomen Copticum, cuius linguae fratres Josephi expertes, tam cum **אֱגֵפְתִּים**, quam ipso cum Josepho per interpretes hinc locutos esse Cap. 42, Gen. legimus. Et sane, si etiam compertum hoc nomen & exploratum habuissent, non ramen talem, qui maleficos aut furtu abscondit, scire, sed futura Dei judicia per Spiritum S. revelet, cognoscere & indicare poterat, notare, est in propatulo. Sic Simulationem irreligionis Josepho a Calvino false adscriptam, jam ipse Augustinus, Lutherus, Gerhardus &c. supra refutaverunt & discusserunt. Non enim erat animus & finis nocendi & fallendi fratres, sed tantum probandi, quo in Benjaminius essent affectu. Constituerat enim fratribus se manifestare, quibus etiam jam tum evidenter notum erat & perspectum, quod Josephus tam probus ac pius, ut nequaquam, Jacobæ fide relicta, **אֱגֵפְתִּים** artibus Magicis studuerit. Quibus itaque illud grave peccatum plane evanescit. Quantum ad Dav. Kimchi aliorumq; Rabbinorum, de consultatione augurum, & capto malo hinc omnino, varias opiniones, precatias, &c. etiam istas velimus excusare per simulationem, cum veritate minus convenientes esse, dijudicamus. Concidunt enim sponte sua haec difficultates, ubi tutiorem ingredi viam nobis datum est.

S. 18. Ad impropiam vocis hujus **נָחָשׁ** significationem manum nunc movemus ulteriorem, ubi diverse iterum ac variae explicandi rationes sese nobis objiciunt. Ghaldæus enim Parapraestes Onkelos autentica reddit **כְּדָקָא מִבְּרָק בְּיהִ** quærendo quærens deperditum calicem, quæ non adeo nobis improbanda videntur. Tentando, experiendo, examinando, Versio transtulit Samaritana & Arabica: **لَمْ يَأْتِ إِنْجَلِي** Schol. Samarit. **אָתָּה נְאָגָסְתָּם וְנְאָגָסְתָּךְ** in autore. Sam. Bohilius Dis. 10 pro formaliter eruendo, per regulam suam rusticam hunc explicans locum Vocem **נָחָשׁ** per: Petuit profunda, constituit: Mein Herr der Joseph probiert nicht

den Becher die Redlichkeit der Leute/ welche ein verborgenes Ding ist/ und versucht / ob sie auch Diese sind / er löset ihn Raum / und forschet / wie sie mit dem Becher umgehen / ob sie ihn stehlen oder nicht. Sed B. Pfeifferus in Dub. Vex. h.l. Qvod hoc formale pluraque alia Claris. Bohlius male assumat, bene moneret quod est Joh. Musaeus in Exercit. contra Bohlium editis dudum erudite demonstravit. Hunc Bohlium in ea jam sententia præcessit Aben Esra, quando ad ver. 15. Cap. 44. Gen. sic ait: Nesciebatis viram ejusmodi advenarum fidem probare, an nempe pectoras haberent manus & furaces ungulas. Nostro hoc in loco dicit: **הָוּ נְסֵחַת אֲרָכֶם בּוֹ לְדֻעַת אֱמָן אֶתְּנָמָן** Cui opinioni calculum addunt Sant. Pagninus. Joh. Piscator & Mich. Christ. Tieroff. I.c. Franc. Junius ac Tremellius sic enodare rem volunt: Nonne ipse certo experimento didicit per illum, quales sitis i.e. hoc dum facta domino meo fraudes vestras, qibus haec tenus conati estis cum illudere, innotescunt.

S. 19. Hunc etiam significatum sed per modum Josepho indignissimum Corn. a Lapide in Comment. ad hunc loc. & Georg. Calixtus in historia Iosephi, recipiunt: Ille his verbis sensum accommodat: Ioseph ergo hunc Scyphum vino plenum hospitibus suis propinando naturaliter divinabat, & explorabat hospitum suorum temperantiam, prudentiam & arcana cordis (in Vino est veritas) & hinc explorabat, quis fratum in Benjamin sit animus. Hic, eodem modo scyphum lepius propinando, ceu fidiculis arcana expressisse autem, secundum fortassis edictum R. Eleazaris: **כִּי אָרָם נִכְרָה בְּכָסֶם בְּכָעֵס** revelatorum exprimit: **שְׁאֵלָה שְׁאֵלָה שְׁאֵלָה שְׁאֵלָה** Sed ebrium & istum esse oportet, qvi summam viri hujus pietatem & sanctimoniam ita profanare non veretur. Namque Josephum omnibus de voluntate divina edictum modis non fugiebat, dona Dei dilapidare iis que abuti malum esse & peccatum maximum, unde ob summam, ut ipse Calvinus c.l. existimat, temperantiam, nec auro, sed argento tantum usus est in conviviis. Opiniones Aben Esra & Bohlii, aliorumque, uti nec fundamentum in sacris inveniunt, sic nec nos istas admittendas esse censemus. Quare tantum abest, ut sumorum Virorum Paraphrastum in medium prolatis opinib[us] in solidum subscribamus, ut potius dictum apud Rab. Meier in Talm. Cod. Chagiga & apud nos inveniet: **אֶל תְּהִלָּה וְשָׁרָא שִׁיחָלָא לְבָרָא**

S. 20. Restant autem adhuc declarandæ hypotheses eorum, qui vivis quasi coloribus augurium per scyphum & κυλικού αντειαν, quo intelligi modo debeat, qvam & supra demonstravimus, depingere volunt: at prima fronte ipsa horum sententia, falsas esse nec unquam approbandas ipsas se satis superq[ue] produnt. Sic Henr. Vrbinus in Anal. P. 1. sententiam de sorribus consolatoriis in scyphum conjectis haud sufficienter probabit. Nec iis in conjecturis Otton. Gualtheri in Præc. Vers. Collat. acq[ui]escere possumus, afferentis: Scyphum hunc peculiaribus qibusdam hieroglyphicis notis signatum fuisse, ut inter sacra seu mystica fuerit relatus, & eorum etiam numero habitum Iosephum, qvi apud Ægyptios dicti sunt *ἱερογεγματεῖς*, de qibus Svid. Cæl. Rhodig. Lib. 29. Cap. 26. sequentia habet: Sacri Scrib*ἱερογεγματεῖς* apud Ægyptios etiam futura vere prædicere poterant, qvorum qvidam Regi prædicti, genitum iritum qvendam apud Israelitas, qvi educatus Ægyptios afflitterus, Israelitas aucturus & virtute omnes superaturus & gloriam immortalem consecuturus, nullo de alio qvā Mose loquens. Qva Hugonis Grotii de Sacrificiis Præparatoriis ad divinationem opinio, cui Fridlebium in Theol. Exeget. h.l. non dissonum vidimus, supra qvædam de ea monimus, satis a B. nostro Calovio destructam, si liber, vide in Bibl. Anti-Grotian. Et sane sunt hæ conjecturæ plurimiua falsæ & a Veritate, qyoniam omni ex sacris probatione & fundamento carent, alienæ, qvibus nemo, si fontem clarissimum persp[ec]tum

etum habet lapidem adjicet. Ideo in iis refutandis, in primis ubi nostra dissertationis limites hoc sickerare maxime jubent, non muleis immoratur; sufficiat, si sententias suas hi Viri melioribus probabunt argumentis, ubiorem iis responsum haud dene- gabimus. Interim conf. Calov. l.c. Dahnauer, in Lact. Catechet. p. 3. Balduin, l. c.

9. 21. Ex his vero tam variorum opinionibus nunc productis & perspectis, nullam tam aptam atque idoneam, quae non vel verbalem laetatur dispositionem, vel sensum a Spiritu sancto intentum, esse ad hunc locum declarandum, quisquis facile dijudicare poterit. Sententiae enim, qibuscunque etiam modis dicantur de divinationibus & auguriis Sanctitatem Josephi violent integritatemque; Virtus ejus non patrum labefactant, ubi potissimum his opinionibus de divinationum a nobis recensitis generibus contradicunt expressa Scriptura loca Lev. 19. 26. 31. Lev. 20. 6. Deut. 18. 11. 12. Ex. 8. 19. 20. 21. libiq; proposta, qibus omnes qvocunq; modo fierent gentilium divinationes expressis verbis prohibita, omnibus diris devoentur. Et licet hoc verbum נחן de divinationibus interpretari velimus divinis, id maximopere, quod nullo ex factis loco hujusmodi significationem corroborare queamus, neq; Lexicographi ex ulla hac tenus Ebraeorum scripto id comprobaverint, obstat & prohibet. Alias opinio-nes, supra, qvoad fieri potuit refutatis, qvas vide, studiose nunc praetermitramus. Qui verterunt, inqvirendo, pervestigando, suæ sententiae, si non subintelli-gant instrumentum & modum illicitum, minusve Josepho convenientem, nos magis prouos habent atque faventes. Cautioribus tamen utimur explicationibus, si verborum כוֹ נחן hanc significationem, quod nihil aliud, nisi accurata & prudens conjectandi & inqviriendi ratio per eadem indigetur ac declaretur, statuimus, atque hinc, qvo semel admisso, ut omnes ex tam diversis opinionibus orta difficultates, qvæ negotium hoc multum implicarunt, dispalescerent, certissime speramus. Lexicographi qvoq; unanimi consensu hunc verbi significatum, qui ipsi Spiritui sancto familiaris est, amplectuntur. Sic Laban precatus Iacobum, ut apud se maneat, dixit Conjectavi Luth. Ich spühre, non au-guratus sum, quod Deus benedicat mihi proper Gen. 30. 27. Eodem modo Reg. 20. 33. ינשׁוּ וַיְהִי וְהָלַט הַמְּמֻנוֹ isti conjectabant &c. Sic in hoc nostro Capite v. 15. ita hoc verbum sumitur, & ad magis sententiam nostram approban-dam, particula כוֹ omissa, adducitur a Josepho dicente: חֲלוֹא רְעֵתָם כִּינְשׁוּ יְנְשׁוּ אִישׁ אֶשְׁר כְּמַנְוִי ubi Luth. per Errathen fonte, opime & felicissime interpre-tatus. Sic in aliis linguis hujus verbi significatio qvoq; hæc obtinet: Plin. Lib. 7. Ep. Com. Fac. Auguror, inquit, nec me fallit augurium, historias tuas immortales fore. Sic Ovid. Lib. 3. El. 4. de Ponto:

Vt desunt vires, tamen est laudanda Voluntas,

Hac ego contentos, auguror, esse Deos.

At enim vero adhuc dubium de particula כִּי, qvam organum alias, instrumentum, & causam significare constet, videri possit nobisve objici. Hinc & hoc discutia-mus, respondendo: vel Präpositionem כִּי πλεοναστική possumus esse, ut: Job. 16. 10. Ps. 55. 19. Thren. 1. 17. vel notare objectum inquisitionis, & hinc Accusativum, ut: Gen. 31. 7. Cap. 34. 1. Cap. 37. 2. Ps. 72. 3. Prov. 9. 5. vel interdum ut genius lingue est, repeti pleonastice & Antistrophon efficere, ut: 1. Paral. 8. 23. Job. 18. 8. Hos. 13. 9. vel per eis, in, aut usq; ad, sic Gen. 11. 4. Lev. 16. 22. Ps. 19. 5. ut hic locus in N. T., Rom. 10. 18. repetitur: Prov. 30. 19. Jer. 28. 1. commode possit hic explicari. Et nos quod hæc particula כִּי, uti monuimus v. 15. iis verbis non repeatatur a Josepho, cer-tissimos reddit & confirmat. Simplicissimam itaque omniumque verissimam hujus fon-tis explicationem putamus sequentem: Nonne hic est Scyphus meus argenteus, e quo habet Dominus meus, & ipse conjectando conjectabit sum amissu, pessimā rem fecisti.

99 A 6912

6078


VD 17

Petrakova

56.



3



B.I.G.

Farbkarte #13



AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI,
PRINCIPIS REGII ET ELECTOR.
SAXONICI HEREDIS,
&c. &c.
DISPVTATIONEM PHILOLOGICAM,
DE
א ב י ע פ
ex Gen. Cap. 44. v. 5.
CENSVRÆ ERVDITORVM PVBLICÆ SISTVNT,
PRAESES
M. IOH. CASPAR. Krause/
ROSVINO-MISNIC.

RESPONDENS
MAVRITIVS GVLIELMVS Wagner/
MARTISBURG.- MISNIC.

Ad d. VI. Martii Anno Christi 1706.

In Auditorio veteris Collegii,
Horis Pomeridian.

VITEMBERGAE,
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.